Ultimum Honoris officium
Veræ piætatis & ingenuæ Eruditionis
Iuveni,
JOHANNI JACOBO
Classis *Primæ* non postremo Auditori,
& sedulo & frequenti,
Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi
DOMINI
DN. DAVIDIS FADEMRECHTII
Senatus Mariæburgensis Proconsulis, & p. t. Prudentissimi
Præsidis
Haud degeneri Filio
An. M. DCXCVI. d. XXIII. Julii Mariæburgi nato,
Inter preces circumstantium ardentissimas pie inter brachia Christi
A. M. DCCXII. die *XXVII.* Augusti post hor. *VIII.*
vesp. defuncto
&
d. *I.* Septembris honorificentissime tumulato
tristi mente & crena erexit
M. Martinus Böhm P. P.

THORUNII,
Impressit JOHANNES NICOLAI, NOBIL. SENAT. ET GYMN.
Typographus.

QVam fallax vitæ facies & lubrica nostræ!
Dum multi longos confingunt temporis annos,
Et sibi promittunt ætatis secla futuræ.
Sed momento mox mortis rapiuntur ab ense
Huic caput afflictum est, alius sub pectore tussit.
Illi venter aquis turget, podagraque gravatur,
Uva vias isti constringit gutturis arctas.
Hunc febris torquet. Centum cruciabile morbis
Corpus iners trahimus, diversus membraque tortor
Occupat, & tacitis votis in funera nostra
Conspirant *Parcæ*, lapides & saxa fovemus
In renum spatiis. Pulmo, dens, atque cerebrum
Infestis morbis vexantur, & horrida spuma
Convulsas rigat ipsa manus. En! bajulat hicce
Vix vivus tumulum querulo de corpore factum.
Labimur exanimes, morbisque ferocia crescit;
Nunc natura foris, nunc intus fracta laborat,
Et varios secum fert inconstantia vitæ
Casus, non uno letho discedimus omnes.
Alvi profluvio multi cecidere sodales,
Immaturis si vescantur fructibus ipsi.
Nec teneris annis unquam Morbona pepercit,
Nec parcit, quamvis Te viribus esse potentem
Censes, & nimio Tibi subblandiris amore.

Quod

Quod vegetos habeas artus, quod corpore firmo
Sis, & Nestoream possis attingere vitam.
Hæc, hæc sunt mollis nunc blandimenta juventæ;
Sed quæ disjiciunt fortissima spicula mortis.
Eximii Juvenis lugendum cernite bustum,
Quem genuit Virtus, pietas quem sancta fefellit
Nunquam, quem mores commendavere faceti.
Quem minime tristes elegos scripsisse pudebat,
Quem coluit, quem formavit divina *Poësis*,
Qui Pindi viruit non ultima gloria nostri,
Æqualesque sui superavit sedulus arte.
Nunc spectatur iners, silet, & nil est, nisi pulvis.
O spes fallaces hominum! si mortis abesset
Imperium, noster si *Fademrechtius* expers
Non læti lethi, tristis mortisque fuisset;
Lumen in orbe foret, Patriæ quam plurima ferret
Commoda, Pieridum sacrarum viveret hæres.
Nunc post se tristes lacrymas, gemitusque relinquit
Et filo tenui pendentia fata remittit.
Chare Parens, Nati qui defles funus acerbe,
In quo deliciæ stabant & imago Parentis.
Maxime Vir, nostri pars non reticenda favoris,
Ipse ego concipio prægrandem mente dolorem,
Dum tua fata doles, dum Te primum alloquor hisce
Convulsis verbis, mœstæ plenisque querelæ.
Pone modum lacrymis: nimium plorare recusa,
Quem luges, mundi spatiis sublimior, annos
In Cœlo numerat, felix est sede beata:
Delicias mundi immundas jam despicit ultro.
Debitor es Genitor. DOMINO cum pignus amoris
Ceu charam sobolem reddis, tua nomina solvis.

Ne

Ne doleas, Patris qvod sit surreptus ocellis,
Et procul a Patria viridi tumuletur in agro.
Si puncto stat terra brevi, jam patria ubiqve est
Si Natus dulci in Patria sua lumina clausit.
Sat vixit, cui vita proba est, cui Musa parentat;
Ingenium qvi præclaras diffudit in artes,
Inter præclaros vivus post funera vivet.
Ut *doctus* fieret, calcavit limina nostri
Ludi, nunc DOCTOR cœlestes imbibit artes.
Per me, *mœste Parens*, mittit Tibi Filius hæcce
Vota, tua prompte memori qvæ mente recondes;
Chare Parens, toto grates Tibi pectore solvo;
Qvod lac fudisti veræ pietatis in imas
Fibras, solicito quod me complexus amore es,
Quod me duxisti virtutis tramite recto.
Munia compensent Superi Tibi munere largo;
Deque meis annis addat divina potestas
Annos, ut prosis urbi, bigæqve sororum,
Quas cum Matre pia, dio commendo favori!
Tu, dilecte Parens, lacrymas abstergito tristes,
Vive Deo, Regi, Patriæ, domuique superstes,
Et me, crede, poli civem per secla futurum.

